



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super
Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Lib. I. De necessitate præparationis ad bonam mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49469)



PEREGRINI TERRÆ

scu

*Preparationis & dispositionis ad
bonam mortem.*


PARS I.

LIBER PRIMVS.

*De necessitate preparationis ad
bonam mortem.*

Ræcipua hallucinatio, quâ irretiti
sunt Mundi sequaces & delictores, est
quod firmiter sibi persuasum habeant,
credantque, sub finem vitæ ad benè mo-
riendum se fore dispositos, vel saltem dis-
ponere posse, esto nulla præcedat benè viuendi norma
ad bonam disponens mortem; cogitant sufficere bonam
voluntatem de futuro, tamen si mala sit de præsentis: mi-
sericordiam Dei in vita non acceptatam, imò neglectam
& speratam debere posseque resumere in morte iudicant:
peruadent sibi, etiam cum fuerint agoni proximi non
de futurum sibi, nec deesse posse tantum temporis,
quod sufficiet saltem ad eliciendum actum contritionis,
obtinere.

IOYSSI
IDEREI
L. II
O. V.



E-

obtinendamque salutem. Hæc est falsa Mundi imaginatio, pestifera doctrina hæc est à Dæmone edocta & suggesta, hæc est ratio status, quæ Sathanz regnum in Inferno ditavit, cumulavit & ampliavit. Quamobrem contra hoc dogma Diabolicum, quod adeo pestiferum, Mundoque perniciosum est, nonnulla proferemus motiva, & rationes probantes, quod iuxta ordinariam Dei legem præparatio ad bonam mortem, supponat dispositionem bonæ vitæ, veluti forma suam dispositionem: & qui in vita vult vivere & esse inimicus & hostis Dei, eundem in morte quoque reperiet inimicum, & qui viuendo Diuinâ vult esse orbatus gratiâ, eadem quoque orbatus manebit moriendo. Juxta cursum ordinarium ex vita capitur prognosticon mortis: cupisne scire, quâ morte morieris, inspice, quam ducis, vitam; si vita tua bona est, bonam securè spera mortem: si mala est & impia, malam time mortem. Sed ad rationes, quæ hanc euincunt veritatem, procedamus, & sex erunt.

Prima, Decretum Dei.

Secunda, Oraculum Christi,

Tertia, Authoritas sacræ Scripturæ.

Quarta, Testimonia Sanctorum.

Quinta, Rationes & argumenta.

Sexta, Exempla.

Decretum Dei.

CAPUT I.

Necessaria est in vita præparatio ad bonum mortis exitum propter iustum Decretum Dei, quo determinavit & sancivit, quod, de lege ordinaria, si quis in vita obliuiscatur Dei, è contra Deus illius obliuiscatur in morte: *Obluiscione obliuiscar eorum, quia oblitus est mei populus meus.* Hic modus loquendi idem replicans vocabulum (*obliuiscione obliuiscar*) in se continet vim ampli-

Psea. c. 1.

Isa. c. 18.

amplificandi. Et Deus vult dicere: tali modo peccantium obliuiscar, vt nunquam deinceps meæ occurant memoriæ. O punitionem inexplicabilem tremendæ iustitiæ vindictiue Dei! & vnam obliuionem castigat per aliam: obliuiscitur peccator Dei, & Deus obliuiscitur illius. Obliuiscitur peccator, ecce culpam; obliuioni traditur, ecce pœnam. Sed quis enarrare potest, quàm grauis & magna sit pœna ista, obliuio Dei: quia esse aliquem à Deo obliuioni traditum, est esse à Deo derelictum, derelictum ab eius gratia, derelictum ab eiusdē protectione & tutela: signum finalis impœnitentiæ; Diuinæ reprobationis indicium, artha damnationis æternæ. Serid igitur peruolue animo, perdisacte Christiane, quid facis, quando in vita Dei tui obliuisceris, quando eius amicitiam & familiaritatem flocci pendis, nihil curas: omnipotentem Dei manum, qui te prosternat, euerat, & in abyssum summa infinitæq; miseriæ præcipitem agat, prouocas. Cogita igitur, quâ ratione Dominus exercituum decreuit, *Isa. 14.* quis poterit infirmare? Deus exercituum ab æterno sic determinauit: quod negligentia in vita commissâ, à Christiano persoluatur in morte, & quis Diuinam poterit impedire voluntatem? Ego Deus & non mutor. *Malach. i.* Quemadmodum, inquit Deus, ego in natura immutabilis sum; ita & in voluntate: quamobrem quod semel volo efficaciter; semper volo. Verum quænam est causa, interrogat S. Augustinus, quod Deus deserit desertorem, S. Aug. ser. & obliuiscitur sui oblitus? Respondet, vt iustitiam seruet. *82. de temp. & de Nat. & Grat. c. 26.* quia si peccator primò fuit oblitus Dei, rationi omninò conforme est, sicque Diuina exigit iustitia, vt Deus obliuiscatur quoque peccatoris. Hæc est causa Diuino eius inserta Decreto suprâ nominatò: *Obliuione obliuiscar* prorsus, & in omnibus, & semper peccatoris. Etsi petas causam, ecce: *Quia oblitus est meo populus meus.* Obliuiscar eius in morte, quia ipse mei primò oblitus fuit in vitâ. Ubi notandum est, quod, cum Deus sit summè misericors & iustus, & non minùs infinitè iustus, quàm infinitè misericors, vtrique virtuti satisfacere cupiat: satisfacit nisi primò ab eo deseratur: *Deus non deserit nisi e. 11.*

prius

Ribera loc. cit. Osa.

LOYSII
DEREI
O. V.

paral. c. 2. prius deferatur. Satisfacit Iusticiæ, relinquendo & deferendo peccatorem, quando à peccatore delictus & relictus fuit: *Vos reliquistis me, & ego relinquam vos.* Quasi dixerit Deus: Vos estis in causa, de vobismetipsis doleatis, vestram vos inchoatis ruinam & perditionem, vos æternæ vestræ miseræ datis principium: me vos illuminante, lumen impedivistis vos ipsos excorquando, me vos vocante, aures obturastis, me vos excitante & mouente, obstinatione vestra vos reddidistis immobiles. Hæc igitur Dei consuetudo est, hæc eius natura & lex infallibilis, ut non misericors tantum, neque solum iustus existat; sed vtramque simul exercent virtutem, cum benevolis est misericors, cum obstinatis & rebellibus iustus. *Psal. 15.* *Cum sancto sanctus eris, cum perverso perverseris.* Personis pietati & misericordiam deditis pietatem tuam & misericordiam præstabis, at perversis & obduratis corde exhibebis iustitiam. Quo loquendi modo Psalmista inferre videtur pro consolatione nostra, nimirum, in nostra esse potestate habere Deum, sicut volumus. Vis cum invenire misericordem? quod è tua parte, tibiq; incumbit, age, exhibendo aliis misericordiam. Vis, ut tui memor sit mortis tuæ tempore ad id periculo-
Psal. 79. *ostendas faciem suam super te? semper in corde tuo memoriam Dei conseruare satage, conseruando te in sancta eius gratia.* Ecce, mi Christiane, salus tua in manu tua est: uti ages, ita tibi retribuetur: qualis eris erga Deum, talis erga te Deus erit: *Eadem mensurâ, seu bonâ, seu malâ, quâ mensi fueris, remetietur.* Concludo igitur hanc primam rationem: ad bonam mortem necessaria est bonæ vitæ dispositio: etenim tale est Decretum Dei, & æterna eius voluntas, in summa misericordia, summaque iustitia fundata.

Matth. c. 7

Verum videamus, quid huic tam efficaci & conuincenti motivo Mundi stultitia respondere poterit. Dicit fortassis quispiam: verum est, quod per viam & legem ordinariam qui malè vivit, malè moriatur, & qui in vita ad bonè beatèque vivendum haud fuit dispositus, neque in mortè ad bonè moriendum dispositus erit; nihilominus denegandæ non sunt extraordinariæ Dei gratiæ, speciales misericordiarum, privilegia inuiscata. Annon Deus cū
 non-

nonnullis fortè dispensare potest, qui, esto malè vixerit, benè moriantur? Verum est, quod Deus sit iustus, *Psal. 144.*
at miserationes eius super omnia opera eius. Hic est peccatorum Achilles, hac apparente imaginatione vitam suam stabilire satagunt, volunt sua excusare scelera, consolationem suam & læticiam absque timore totalis desperationis manuteneere & fauore student. Sed ad tollendam hanc de cerebro eorum phrenesim, necessè est, vrgens ad sit Dei auxilium, eloquentia plùs Diuina, quàm humana, vt illuminentur illæ tenebræ, emolliatur ista durities, ac peruersa illa & intuetèrata è cordibus eorum et adicetur obstinatio. Quapropter hoc munus & officium huiusmodi tollendi errorem aureæ totiq; cœlesti D. Chrystostomi pennæ committamus, audiamus, quid hac in materia proferat. Interrogat S. Doctor: *Quid dicis? Erit aliquando tempus quando conuerri licebit?* Et hoc nō erit tempus presentis vitæ, sed futurum mortis. *Quod idem est, ac si perspicuis verbis diceret: nolo me conuètere in vita, volo in morte: Verba hæc Deum valdè exasperant,* iram Dei vehementer prouocant, Diuinam irritant iustitiam, ac gladium vindictæ vibrantem & fulmibantem manui Diuinæ porrigunt. Hæcine est gratitudo illa, quam debes Deo, quod hucū que te non castigauerit, quod tot tantisque peccatis immersum conseruauerit? Peccasti, tuisque inordinatis ad optatum satisfecisti passionibus? *siste iam gradum.* Tempus est, vt finem imponas, noli amplius abuti Dei misericordia: ecce, nisi peccatis tuis finem imposueris, Deus dabit finē vitæ tuæ cū principio æternæ mortis. Verum dices: *Multis dedit Deus priuilegiū, vt in vltima senectute conseruentur & in morte, tamen si in vita nunquàm confessi & conuersi fuerint.* Hiscè instantiis obuiat maiori armatus zelo & ratione D. Chrystostomus: *Quæris priuilegiū?* & in quem finem? vt malè opereris? vt eò liberius peccare possis in vita absque fræno timoris iudicii Dei in morte? Hoc est quærere & petere priuilegiū à Deo contra ipsum met Deum, est postulare gratiam à Deo, vt ipsum offendas. Visne, vt Deus te non obliget ad habendam gratiam in vita, eo fine, vt semper, quamdiu vixeris, stare possis in peccato, & esse inimicus & in odio Dei? O stultitiam, con-

*In ep. 2. Cōp
 Hom. 22.
 fol. mihi
 303.*

& cœcitatē inauditam! Si subditus suum adiret Principem, eique diceret: Domine, concede mihi privilegium armorum, da mihi facultatem & licentiam, ut omnis generis arma, quæcunque mihi placuerint, gestare possim, & Principi causam sciscitanti responderet ille: volo te isdem occidere, vitam tibi eripere desidero: dic mihi, quid mereretur subditus iste? quid responderet Princeps? id tibi considerandum relinquo. In præsentī casu simile prorsus occurrit peccatori cum Deo. Orat, deprecatur, supplicat: Domine, sine me vivere iuxta votum & optatum meum, quodecunque enim iusseris, id ipsum in morte me præstitutum promitto: hanc mihi concede gratiam, indulge mihi hoc privilegium, ut, tamen si te offendam in vita, me tibi reconcilies, & ad gratiam tuam admittas in morte. Quid respondebit Deus: *Qui ad mortem, ad mortem*: qui in vita moritur morte culpæ, moritur quoque in mortis tēpore morte pœnæ, & pœnâ æternâ. *Et qui ad gladium, ad gladium*: & qui in vita non timuit gladium Verbi mei, in morte præstoletur meæ vindictæ gladium. *Et qui ad famem, ad famem*: qui panem Gratiæ se priuavit in vita, priuetur quoque in morte panem Gloriæ. *Et qui ad captiuitatem, ad captiuitatem*: qui denique in vita sese tradidit Sathianæ in mancipium eiusdem quoque mancipium sit in morte. Hoc est responsum Christi. Sed progreditur S. Chrylostomus, & petit: *Quæris privilegium; numquid tibi dabitur; respondebis: fortasse dabit, potest esse, quod Deus sic illud mihi daturus.* Ergo in vno fortasse, in vno potest esse, fundamento adeo fragili & vano nititur tota spes salutis tuæ? *Quænam hæc in Mundo æstimaretur dementia, si quispiam cum alio descensurus in arenam, nullis se vellet præmunire armis, in vno fortasse solum fundatus, fortasse cadibo saluus & illæsus? aut si quis ducturus uxorem, pauperulam caperet, dicens: quia multi sic propter spem ditati sunt? aut exstructurus domum, ædificaret eam super arenam, hac solâ spe illectus; Multa sic confiteri domus debili nixæ fundamento? Quod si in negotiis Mundi summe id asseruatur imprudentiæ & dementia, quantò maior erit fatuitas & stulticia, si quis in negotio salutis animæ, ubi agitur de æternitate*

tate huiusmodi committat negligentiam & socordiam.
 Sed si eiusmodi negligentiae signa actusque non aduertuntur, nec committuntur in Mundo, quia prouocans vel prouocat ad duellum, armis se praemuniat; & qui ducit uxorem, praediuiti conlocriari operatur, & in talem collimat; & qui trigit aedificium, supra solidum fundamentum id collocat: cur non etiam euitantur, sed permittantur in seruitio Dei? Quare concludit D. Chrysoftomus: *Ideo oro, s. Chrysoft. l.c.*
Obsecro, ut recedamus a malis: non expectamus, neque differamus nostram conuersionem ad mortem usque, ut & promissa bona assequamur, quae Deus promittit bonis probisque in gratia eius uiuentibus. Hucusque Chrysoft. At ultimus, quo se peccator defendit, superest clypeus, cui satisfaciet sanctus Bernardus. Quid dicunt Mundani? sanctus latro ducatum nobis praebet, viam seruat, additque nobis animum; Deus non est partialis, eam gratiam, quam Deus illi praestitit, speramus & nos: ecce, & ipse magnus in vita extitit peccator, magnus in morte sanctus; sine dispositione bonae vitae, at cum optima dispositione in morte; in vita caput & dux latronum, in morte exemplum verè poenitentium. Huic respondet sanctus cit. Doctor paucis verbis: adducere exemplum boni latronis, non est afferre exemplum, sed miraculum. Vult insinuare S. Bernardus: Christus conuertit bonum Latronem miraculo Passionis suae; non autem, ut in illo aliis daret exemplum, quod imitarentur. Quam ob causam notanter adiunxit ista dicens: *Amen dico tibi:* quasi diceret: haec gratia extraordinaria est & miraculosa: tibi soli exhibetur, & aliis non inferuet pro exemplo; & ratio, quia tibi, & quia hodie: quia cum tam bona tibi obtigerit fortuna & occasio, ut hoc singulari & sacrosancto adeo die Passionis & mortis meae mihi praesens existas, ideo, sicut hoc die in Natura, ita quoque in Gratia prodigia sunt & miracula. Et quemadmodum scissio petrarum, terrae motus & tremor, obscuratio Solis fuerunt miracula diei Mortis Christi, ita quoque quod vnus peccator, qui in vita semper peccator extitit, in malo habitatus, rebellis Gratiae & amicitiae Dei, subito, in vno temporis momento, sub finem vitae mutet affectum, mutet voluntatem.

Thom. polleriot

B

tatem

tatem, obstinatum deserat animum, obtemperet Gratia, & conuertatur ad Deum; hoc, inquam, prodigium est, quod solum patrandum est ipso die Passionis Christi, in qua is Sanguinis sui vim & efficaciam ostendere voluit. Igitur exemplum S. Latronis miseris peccatoribus animum haud addere, sed timorem potius & tremorem incutere debet. Sed quid est, quod Mundani exemplum Latronis boni ad eum promouebant, illustrent & extollant, & non mali Latronis inspiciant exemplum? Profecto maiorem ex hoc timorem, quam spem ex illo concipere deberent. Quis vnquam existimasset, quod die tantæ misericordiae, qualis fuit is, quo verus & naturalis Dei Filius pro peccatoribus mortem in Cruce sustinuit, vnus peccator, à latere Christi existens, precibus eius adiutus, animatus illius verbis, sanctissimæ Virginis confortatus præsentia, tot tantisque signis & prodigiis monitus deterritusque, tempore præteritæ gratiæ & misericordiae, sine potentia, absque contritione, obstinatus & impænitens moreretur, damnareturque? O prodigium humanæ obstinationis! ô miraculum cordis obæcæti, obdurati in malitia & peccati iniquitate! Verum id permisi Deus, vt cuncti intelligerent, quàm stabilis, firma, & constans sit Diuini Decreti dispositio, quod, qui malè viuit, malè moriatur, & qui non se disponit in vita ad vestem nuptialem Gratia, neque enim dispositus reperitur in morte. Ergò subsistit prima probatio, quod de lege Dei ordinaria dispositio ad bonam mortem, in vita quoque procedere debeat, & quorundam conuersiones, mortis non vitæ tempore factæ, sint conuersiones veluti miraculosæ, potius admittendæ, quàm imitandæ. Et hæc de primo motiuo, nempe, de Decreto Dei. Veniamus ad secundum.



Ora-

Oraculum Christi.

CAPUT II.

Secundò necessaria est hæc præparatio ad bonam mortem propter Diuinum Christi oraculum tam lenò, tam instantè eandem commendantis, & præcipientis in sacro Evangelio, cum ait: *Estote parati, vigilate* *Matth. 24.* & orate: nescitis enim, quando tempus sit, nimirum, mortis vestræ. Cavete vobis, magnâ cum diligentia vocate orationibus, nè mors improvisa vos abripiat. Et quia quispiam credere posset, hoc monitum, quo Christus Dominus commendat nobis præparationem ad bonam mortem, non esse vniuersale, sed ad apostolos, non omnes & singulos concernens, concludit Saluator discursum suum, dicens: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Omnibus & singulis còmunè & necessarium est hoc documentum: secularibus, religiosis, viris & fœminis, omnibus personis, cuiuscunque conditionis & status existant & vt paucis plura complectar, omnibus, quicunque efficaciter saluari optant & desiderant, competit: *Omnibus,* ab que vllius personæ distinctione, *dico: vigilate* à mortifero peccati somno excitati: enimuero, quod si in eo adhuc viuentes obdormiueritis, neque mortis etiam appropinquante tempore ab eodem excitabimini. *Vigilate,* diligenti vestri præsertim cordis, nè ab alio, præterquam à Diuino, possideatur amore, custodiæ attendentes. *Vigilate,* hostium vestrorum defensionè & victoriæ incumbentes, quod si enim de iisdem in vita victoriam semper reportaueritis, victores quoque euadatis in morte. *Vigilate,* denique cum bonæ vitæ dispositione, vt in fine eiusdem ad bonam mortem dispositi paratique inueniamini. Hæc erat Christi D. N. concio, quam frequenter repetebat, suisque Discipulis & reliquis omnibus inculcabat. Et quia hæc materia salutis nostræ valdè necessaria est, multumque confert emolumentum, eandem veritatem Saluator nocte variis diuersisque illustrauit parabolis, vt potè Paritafamilias, improbi Serui, Virginum fatuarum, taleatorum nuptiarum filii Regis.

Matth. 25.
24.

Matth. 24. Et in prima parabola nos docet, quod sicut Paterfamilias, si illius horæ, quâ fur veniret, haberet notitiam, vigilaret utique; ac quia horam determinatam ignorat, totâq; vigilando nocte tædio afficitur, dormite incipit, quo tempore accedit fur, aufert & surripit è domo omnia: ad eundem modum Christianus negligens, quia determinatam mortis horam nescit, & molestiam hauri exiguam experitur, ut cunctis vitæ suæ horis Diuorum præceptorum inuigilet obseruantia, somno se committit peccati, & ecce eodem tempore appropinquat mors, quâ mediante Diabolus ei ex improviso surripit totam substantiam, vitam & animam æternis Inferni pœnis exercuciandam. Ergò, ut vnâ horâ benè moriaris, cæteris omnibus horis, in gratiâ Dei constitutus, paratusque sis, necesse est.

loc. cit. In secunda parabola, exemplo mali serui nos admonet, qui, quia videt, quod *moram fecit Dominus* suus redire, nec tamdiu expectare potest, curam domus sibi commissæ deserit, ac totum se tradit Mundi deliciis & voluptatibus: sed ecce, cum Dominus *in die, quâ non sperat, & horâ, quam ignorat*, reuertitur, reperitque eum præceptis suis inobedientem, pro merita ei infligit pœnam. Idem prorsus eueniet homini Christiano, ni sibi prospiciat. Videt, quod *moram facit Dominus*, & mors nonnihil tardat, sensus obsequitur voluptatibus; sed ecce, *die quâ non sperat*, mors accedit, & quia nullus reperit instructum meritis, absque vlla dispositione, in malo statu constitutum, mortis impœnitens; vnde æternis adiudicatur pœnis.

Matth. 25. In tertia parabola ob oculos nostros statuit, quid successerit Virginibus fatuis, quæ quia in aduentu Sponsi minimè paratæ fuerant: siquidem lampades ferebant extinctas, oleo igneque vacuâs, turpiter exclusæ fuerunt à nuptiis. Tales erunt impiorum animæ, præparati ad bonam mortem nullam curam adhibentes. Veniet Christus, Sponsus noster sub finem vitæ: & quia sola sine instructæ, sine oleo bonorum operum, sine igne charitatis, reperientur, non tantum non intrabunt cum Sponso ad nuptias, sed miserè quoque in perpetuos Inferorum carceres detrudentur.

In quar

In quarta parabola hortatur nos ad vtiliter fructuose. *loc. cit.*
 que expendendum talentum, Gratiz per dispositionē ad
 bonam mortem in vita faciendam: nē idem nobis eue-
 niat, quod seruo pigro, qui minus benē impendit talen-
 tum datum sibi à Diuino, sed abscondit illud sub terra,
 quam ob causam seuerē castigatus fuit. Idem contin-
 get peccatori, si talenta à Deo sibi tradita in otio conuer-
 terit, aut, quod peius est, malē exposuerit, nec vllum fe-
 cerit lucrum bonorum operum ad Dei gloriam.

In quinta parabola nos admonet ad habendam nu- *Matth. 22.*
 ptialem vestem charitatis in vita, vt eadem induti com-
 pareamus tempore mortis nostræ: secus idem nobis di-
 cetur, quod negligenti isti ad nuptias inuitato dictum
 fuit: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptia-*
lem? Ligati manibus & pedibus proicite eum in tene-
bras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Et hæc
 de parabolis.

Verūm haud sufficit Christo Domino terminare
 concionem suam contra peccatores, qui cupiunt esse
 Dæmones in vita, & Angeli in morte: conuincit insu-
 per eorum fraudem nouo quodam ac terribiliori argu-
 mento, dicens: *Sicut erant in diebus ante diluuium Sc-*
ia erit & aduentus Filii hominis: quod diluuii tempore
 mundanis accidit hominibus, id in morte peccatoribus
 eueniet. Primò, Noë ex iussu & ordinatione Diuinâ
 prædicabat, vt peccatis vitæque impia hæc imponē-
 rent, eò quod Deus ad iracundiam satis superque pro-
 uocatus eos castigare, & diluuii aquis submergere in-
 tenderet; at ipse aures hæc obturantes vocibus Dei
 seruum saluum censurabant, sermones eius flocci pen-
 debant, vitamque continuabant iniquam peccata pec-
 catis addentes. Secundò, ecce venit diluuium ex in-
 sperato, & præter omnem expectationem: *Et non co-*
gnouerunt, donec venit diluuium: Noë prædicanti in-
 stantis diluuii periculum credere noluerunt, donec pro-
 priis illud oculis conspicerent. Tertiò, cum venisset:
Tulit omnes, suffocauit: perdidit & ad vltimum exter-
minium reduxit omnes.

Idem casus nunc continget in Mundo. Conciona-
 tur Christus in Evangelio, concionantur Frædicatores
 B ; ex sug-

ex suggestu, propria concionatur conscientia & intera
lynderesis, hanc veritatem cunctis Mundi creaturis ma-
nifestat, quod *instat dies Domini*, & mors vicina, adue-
tus Domini ad iudicium & particulare, & vniuersale: So-
lis occasus, Lunæ mutatio, obtenebratio Aeris, Aquæ
exiccatio, sterilitas Terræ, arborum plantarumque de-
frondatio: denique totus Mundus hanc veritatem confi-
teretur, cum iam deficiat, senescat, & ad occasum tendat: &
solus homo immutabilem se existimat, non credit Fidei,
non persuadetur rationibus, nec cedit experientia:
mortem videt, & non credit: tangit eam, & non sentit:
vicina est, & remotam iudicat! O quæ fascinatio visum
eius impedit! O quæ dementia cerebrum eius obfuscat,
si non eripuit! O quale iudicium Dei! O qualis pun-
nitio! O qualis pœna! at iusta, at rationabilis, & pro-
pter peccata peomerita.

Et ecce miserum peccatorem repentinum inuadit
diluuium, non aquæ, non ignis, sed tormentorum & pœnarum
æternarum infernalium: conspicit iratum Iudicem præsen-
tem, horribilem audit sententiam, nullam reperit fu-
gam, nullus adest, qui ei ferat suppetias: tandem aduertit,
at eo tempore, quod ipsum nihil profusus iuuat, eo
tempore, quo omnis porta iam oclusa est, quando re-
medio nullus superest locus, quando nihil prodest co-
gnoscere, quod sit Mors, Infernus, Iudicium, Deus.
Noli procedere ulterius: subsiste hoc in puncto, reflecte
te parumper, & considera, quando tempore Noë omnes
illi, quotquot verbis eius fuerint increduli, aquis infesta-
bantur, seque in gremio præsentis mortis constitutos
conspiciebant, absque fuga, absque reparatione, absque
remedio, denique absque omni succursu & auxilio,
quomodo verbis ex imis cordis penetralibus prodeun-
tibus loqui cogebantur: O nos miseros & infelices!
ecce totum verum est, quod Deus per seruum suum Noë
nobis prædixit: ecce pœnam, quam nobis minatus fuit.
ecce prophetiam & præfagium iam adimpletum. *Et nos*
insensati &c. credebamus Prædicatorem Dei fuisse men-
titum, somniasse, delirasse, senem quendam exiisse sen-
su & cerebro destitutum. nec, quod diceret, sciuisse: &
tamen verum est, nostra ea fuit stultitia & vecordia, no-
stra

stra negligentia, nostra culpa. Constitui deinde in mortali vniuersalis diluuii angore & periculo erigebant, oculos, intuentes arcam boni Noë, omninò securam, absque periculo, supernatantem; ad cuius aspectum has aut similes dolentes tremcotesque addebant voces: Serue Dei, miserere nostri, in domum tuam nos recipe, pœniter nos erroris nostri, iussis & præceptis tuis deinceps obtemperabimus. Iam non est tempus ampliùs, respondebat sanctus Senex, præterit tempus gratiæ, effluxit tempus misericordiæ: hoc est tempus iudicii. tempus executionis Diuinæ Iustitiæ. Memento, fratres mei, quoties vobis dixerim: quiescite agere peruersè, à peccatis abstinete, in pœnam & condemnationem vestram, nisi abstineatis, veniet diluuiù, & vos aures verbis meis obstruxistis, eaque tanquàm fabulas, mendacia, somnia & deliria explosistis; nullus iam datur mutationi locus, tale est decretum Dei, & infallibilis Diuinæ voluntatis dispositio. Hic casus in sceleribus illis successit: cuique certum iudicium est, si modò, adhuc viuus voci Dei non aperias aures, Diuinam inspirationem non acceptes, non vias inquit veri Christiani, disponendo te ad vltimum finem: persuadendo tibi, te esse mortalem, ad mortem natum, mortem præ foribus adesse, & Deum non indulgere tempus ei, qui nullam habuit rationem temporis, neque locum pœnitentiæ, qui illam in vita fugit.

Inponatur hinc huic capiti doctrinà quãdam Christi, pro proposito nostro valdè accommodã. Docet Evangelista, quod duæ dentur viæ, vna lata, qua ducit ad perditionem: altera arcta, qua ducit ad vitam. Undè æterna Sapientia vult inferre: ex via cognoscitur terminus: quemadmodùm, qui viam ingreditur Romanam, Romanam attinget; ita qui ambulat per viam mortis, conduceretur ad mortem, & qui ambulat per viam vitæ, vitæ attinget terminum. Vos ergò deducite consequentiam: Peccator impœnitens, & qui in vita haud sese disponit ad mortem, per viam latam ambulat: ergò ad terminum mortis, ad finem perditionis deueniet. Hoc idem Christus confirmat exemplo arboris: *Non potest arbor bona malos*

Galat. 4.

malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere.
 Toto vitæ tempore fuisti arbor mala & pessima, viuendo semper in peccato: quomodo sperare poteris, te sub finem vitæ pro iucturum vitæ fructus? Et ex hac Christi doctrinâ infert S. Apostolus Paulus, quod quæ semina: homo in vita, hæc & metat in morte, & colligat conformiter seminauerit. *Deus non irridetur, q. d. Verba Dei non sunt trahenda in iocos & risus, quæ seminaueris homo, hæc & metet.* Quod si igitur tempore vitæ tuæ non nisi peccata & offensas Dei seminasti, quomodo igitur in morte gratiam & reconciliationem cum Deo metes? Huc vsque Oraculum Christi, quo Evangelii veritas remanet demonstrata, & coniuncta Mundi falsitas: quod, videlicet, vita mala haud esse possit dispositio ad bonam mortem; sed malam subinferat mortem, & qui viuit in peccato, vbi sperat mori in Gratia, morturus sit in peccato.

Authoritas sacræ Scripturæ.

Caput III.

Tertio loco pro eiusdem veritatis probatione addita auctoritas Spiritus Sancti in sacra Scriptura expressa: etenim quod proponit Pater, approbat Filius, confirmat Spiritus sanctus.

Amos c. 1.

In Amos Propheta leguntur hæc minæ Dei: *Super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non conuertam eum, q. d. propter tria peccata Damasci adhuc eis miserabor, eaque remittam; ast si peccatis istis peccata adhuc adiecerint, non remittam, neque veniam dabo.* Horum peccatorum, iuxta Ruperti expositionem, primum est consensus, secundum opus, tertium consuetudo, quartum & vltimum, de quo loquitur Deus: *non conuertam eum, est peccatum obstinationis; & est eorum: qui in vita nolunt agere pœnitentiam; sed tempore instantis mortis pœnitere cupiunt.* Hoc, inquit Deus summa veritas, transire non potest, non sunt termini si-

Rupert. in
 hunc locum.

mul volubiles hæc duo. imp. pœnitentia in vita, & pœnitentia in morte: odio habere conuersionem in vita, & amare eandem in morte: ut amplexeris peccatum adhuc sanus & viuus, factus vero infirmus infirmus & moribundus veis illud detere. Quis non expauescet ac formidabit horribile illud & tremendum Dei verbum: *Non conuertam eum?* Peccatori tempore mortis suæ nullum dabo locum pœnitentiæ, non conuertam de statu peccati ad Gratiã, non benigno Patris, sed iracundo & horribili Iudicis vultu eundem respiciam. Accedat nunc peccator, & libero corde, aliãque voce dicat: *Conuertar* in morte, tunc agam pœnitentiã, totus ero Dei, nũcium mittam Mundo, Carni & Dœmoni: enim uerò respondet Deus: *Non conuertam eum.* Te ipsum fallis, o infelix, putasne te conuertere sine Deo? Deus inquit: *Non conuertam,* & tu contrarium illius, quod Deus loquitur, affirmare audes? *O conuertar,* vanum & vesipellem impostorem, qui paradysum inuastasti, infernum ditasti! *O Non conuertam,* verum certum ac infallibile Dei eloquium, quo iustissimè castigat peccatores! Prodeant nuoc in medium omnes damnati ex orco, interrogemus eos, quid dixerint in vita? *Conuertemur in morte.* Quid dixit Deus? *Non conuertam eos* in morte. Utra harum sententiarum verificata fuit; quis dixit veritatem? Omnes isti spe suã decepti sunt, *errauerunt in via veritatis:* Deus solus veritatis assertor, totum, quod dixit, verificatum fuit. Dixit, *Non conuertam in morte,* & re ipsã, uti Deus prædixit, ita factum est, in morte non conuersi, sed post mortem æternis cruciatibus adiudicati & damnati sunt. Idem vobis planè contiget, si in vita non conuersi, instante morte vos primò conuertere decreueritis. Quapropter hanc sententiã tanquã veritatem irrefragabilem, indelebilibus litteris & characteribus cordi vestro inscribent: *Qui non se conuertit in vita, & in morte sese conuertere cogitat, neque in vita, neque in morte sese conuertat:* non in vita, propter defectum peccatoris dicturi: *Non conuertar;* non in morte, propter iustissimam punitionem Dei dicturi: *Non conuertam.* Muta ergo sententiã & mentem, perdilecte Christiane: illud *Conuertar*

ueritar, quod inutiliter & frustratorie pro morte reser-
uas, vsurpa in vita, & noli amplius dicere in futuro ver-
bum illud, *Conuertar*; sed conuerto in presenti: ecce
subito, *hic*, hoc in loco, vbi de facto sum, *nunc*, hoc ipso
temporis memento, in quo viuo actualiter, vitam mu-
to, desero peccatum, Diabolo renuncio, redeo ad serui-
tutem Dei mei, veri & naturalis mei Domini. Sicque
securus, quod sit te in vita conuersioni dederis, mortis
quoque tempore conuersum te deprehendes.

Hanc scripturam Amos Prophetæ aliâ quâdam ex
Oseâ desumptâ stabiliamus & confirmemus. Quadam
vice percepit Deus Oseâ Prophetæ, *ut acciperet sibi
uxorem fornicationum*. Obediuit Prophetæ, & cum ea
habuit tres filios, primus vocabatur, *Afflictio*; secundus
Absque misericordia; tertius, *Non populus meus*. Quofa-
cto Deus demonstrare voluit tres miserabiles peccato-
ris status, *in vita, in morte, & post mortem*: in vita voca-
bitur *Afflictio*, quia continuo affligetur & torquebitur à
remorsu conscientie, propter peccati, in quo constitu-
tus est, obstinationem. In morte habebit nomen *Absque
misericordia*, quia cum Dei misericordia Dei hæcenus
fuerit abusus tempore vitæ, eam non reperiet, & in pen-
nam omnis illi denegabitur misericordia in morte. Et
post mortem dicitur: *Non populus meus*: quia ab electo
populo Beatorum in cælis excludetur, & cum populo
reprobo damnatorum in Inferno condemnabitur. Con-
sidera modò hos tres infelices peccatoris status, & vnum
peiores altero. Malus est primus, peior secundus, ter-
tius pessimus; & per vnum fit ascensus ad alterum; ob-
stinatio in vita conducit ad impenitentiam in morte, &
ista ad damnationem post mortem. Caue igitur, nè pe-
dem in primo gradu colloques, secus, te quoque reluctan-
te, peruenies ad secundum, & ex hoc ad vltimum, ac pro-
indè ad extremam ruinam tuam & miseriam.

Utrique huic Prophetarum authoritati adiungatur
Eccl. 5. *tertia, quæ est authoritas Ecclesiastici: No dicas: Misera-
tio Domini magna est, multitudinu peccatorum meorum
miserabitur in morte. Misericordia enim & ira ab illo ci-
tò proximant, & in peccatores respicit, q. d. misericordia
namque Dei pari gradu & gressu ambulat cum ira & iu-
sticia*

stitia eius, ut ostendat se misericordem erga peccatores, & in impenitentes iustum: siquidem graue delictum, & sacrilegium intollerabile est, abuti misericordia Dei: si quis, nimirum, ea utatur, ut eò magis offendat Deum, in eiusque perseueret inimicitia & offensa. Sperandum quidem est in misericordia Dei; sed ut quamprimum peccati statui vale dicas, & subito cum Deo te reconcilies, secus te ipsum defraudabis, & ubi speras obtinere misericordiam, reperies iram, iustitiam & vindictam Dei: quia *ira Dei respicit peccatores*, vel ut alii legunt: *requiescat super peccatores*, vindicatrix manus Dei peccatores obstinatos non castigabit obiter, sed per omnia secula, & in æternum constanter & permanentèr in eis perseuerabit ira Dei. Hæc igitur sententiæ huius sit conclusio. Misericordia & ira Dei pari gressu ambu- qui misericordia Dei abutitur in vita, eiusdem iram ex- lant: & perietur in morte.

Concludat hoc caput sapiens consili- um per Dauidem Regem traditum Filio suo Salomoni: *Tu Salomon, fili mi, seruo Deum patris tui, & seruis ei corde perfecto*. Procura Salomon, fili mi, ut Dei recorderis in vita tua, ei- que toto corde seruias. *Si quaesieris eum in vita tua, in- uenies ipsum & in vita & in morte tua: si autem dereliqueris eum in vita, proiciet te in æternum in morte tua*. Eandem pro se petebat gratiam Regius Propheta, dicens: *Conuertere, Domine, saluum me fac propter misericordiam tuam, quia non est in morte, qui memor sit tui*. Modò adhuc mihi uiuenti largire gratiam, Domine, & egò verè perfectèque me conuertam ad te: alioquin neque etiam in morte memor tui ero, à te derelictus.



Testimo-

Testimonia Sanctorum.

Caput IV.

Omnes sacri Doctores vpanimi mente & corde in hanc conspirant veritatem, quod vita sit prælagium & indicium mortis, & qualem quis ducat vitam, talem quoque sortiatur mortem. Verum ad fugiendam prolixitatem, quatuor solos adducam: duos Græcos, S. Basilium & S. Chrysostrum; duos Latinos, S. Augustinum & S. Gregorium.

- S. Basil in
Hom. Et vt exordiar à S. Basilio, peccatum ad mortem vsq; à conscientia deportatum appellat hic S. Doctor plagam incurabilem & insanabilem: *Affectus incurabilis, quasi affectus inueteratus*, quasi in naturam conuersus, iuxta dictum Prophetæ: *Pessima plaga tua*, manifestum miseræ mortis quasi præludium. Distinguit quoque sanctus Doctor duas species pœnitentiæ: *altera est promouens ad peccatum*, & hæc est mala, estque eorum, qui differunt pœnitentiam, & ad mortem vsque prolongant; *altera exigens lapsum*, & è statu peccati educens, & hæc est bona, estque verè pœnitentium propria, qui in vita pœnitentiam agunt, & subito à peccato resurgunt. Undè quempiam hortatur ad amplectendam pœnitentiam præproperam & expeditam, & ad fugiendam pœnitentiam tardam: *Qui enim hinc pœnituerit, in nouissimo non pœnitebit*. Culpat igitur & vituperat sanctus Basilius seram ac tardam pœnitentiam, ad extremum vsque vitam terminum dilatam, propter magnum, quod secum confert, salutis periculum: quia non est pœnitentia peccati, sed pœnitentia pœnitentiæ, nimirum, quod in vita, vt ipse erat, non pœnituerit. Huc vsque sanctus Basilius.
- In epist. 2.
ad Cor. Accedat nunc S. Chrysostrum, ita monens in quadam Homelia: *Nè moreris conuerti ad Dominum, nè differas de die in diem*. Et huius rationem reddit: *Periculum enim, & metus in differendo: salus verò certa est, si nulla sit dilatio*. Distinguit sanctus Doctor

peccatorem à duratione, quâ in peccato perseverat, & hoc te cuodum, inquit, gravius est, Deoque valde odibile: quia peccasse humanum perdurasse diabolicum. *Quid in peccato magis impium? In peccato stare. Quid peius in casu, lacere in eo, & non se erigere. Et peccatores non dolendo magis Deum prouocant, quàm peccando.* Hæc doctrina est sancti Apostoli Pauli: *Non apprehendas vos tentatio nisi humana.* Vult dicere Apollolus: quod si Angelus esse nequeas, nõ sentiendõ peccatum; sed te habeas vt homo, peccata consentiendo, noli esse Dæmonis instar, perseverando & viuendo in peccato: quia si Dæmoni similis fueris in culpa, similis quoque ei eris in poena. Verùm si progrediaris, & interroges D. Chrylostomum, quâ de causa ad eõ impium & diabolicum est perseverare in peccato? & quare obtinget eis mors ad eõ infausta & periculosa? Respondebit, quia eo tempore erunt veluti mancipia & serui Sathanæ propriorum peccatorum vinculis & catenis colligati, custodem habentes infestissimum Mundi amorem & carnis, qui crudelissimi instar tyranni eos possidebit, iisque dominabitur, quousque eos præcipites agat in æternæ mortis supplicia. Prosequitur S. Chrylostomus & summopere obtupescit, non deesse peccatores ad eõ insensatos, orbatosque cerebro, qui non nisi, quod vident, credunt, audentque dicere: *Interim fruor presentibus, & tunc de incertis considerabo, adhuc tempus erit in morte de bonis futuris & incertis instituire meditationem: Hodiernum mihi concede, & sume tu crastinum.* O dementia excessus! O inauditam vesaniam! *Et quid ab hircis & suisibus ista dicentes differunt? Quid dicitis? suntne ea incerta, quæ de futura vita sparguntur? Et ego respondeo, quod sunt visibilibus certiora: quia in visibilibus sensus decipi possunt; at anima fidei illustrata lumine in veritate sacre Scripturæ minimè errare & decipi potest.* Dices, *Nũm de caelis aliquis venit, & dixit, quod Deus est, quis cuncta creauit? Non descendit, nec homo, nec Angelus (quibus fide infallibili haud crederetur) Sed descendit Angelorum Dominus, qui omnia diligenter nunciauit, & proprio ore nos locuit & declarauit sanctæ nostræ fidei mysteria, & in particulari, quod gehennam parauit malis,*

lis, & Regnum aeternae gloriae constituit pro bonis. Et haec de testimonio D. Chrysostomi, ad D. Augustinum transitum faciamus.

S. Aug. To.
1o. in

Matth. ser.
23.

Matth. 25.

S. Aug.

Tom. 9 in
Ioan. art. 33

Sanctus Augustinus pluribus in locis operum suorum, more solito pertractat egregie hanc materiam. Ac primò docet, quodnam sit tempus poenitentiae, quominimùm, in bona valetudine, nò autem in agone constituti sumus: *Non fallaciter dictum est: pulsate, & aperietur vobis. Sed modò, quando tempus est misericordiae, quando adhuc sani & incolumes sumus, non quando tempus est iudicii & iustitiae, quòd est tempus mortis.* Et adfert exemplum de Virginitibus factis; quibus nihil profuit *sera poenitentia*, propterea Christus Dominus terribilem hanc & tremendam dedit eis sententiam: *Nescio vos, improbo vos, reprobo vos*, quod est idem dicere: declaro vos hostes meos, contra vos aeternam damnationis fulmino sententiam. Quapropter *Vigilate, quia nescit dies, neque horam.* Sempet vigilare debemus, preparantes nos in vita ad bonam mortem; modus autem iuste est: *Conde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila.* Custodia tuę cordis tui in vigila, in fide ambula, exerce actus Spei, in Charitate Dei vive, & bonis sempet occupare operibus. O quam pernicioosa est Peccatorum spes tempore vitæ! ait idem sanctus Doctor: spes, quæ conducit ad desperationem: *Inter spem & desperationem fluctuant peccatores*, inter spem in vita, & desperationem in morte. Dicunt in vita: *Bonus est Deus, misericors est Deus: faciam quod mihi placet, quodlibet, laxabo habenas cupiditatibus meis.* At quando infelices isti constituti erunt in agone, mutabunt mentem & linguam, dicunt intra se: *Non datur deinceps locus veniæ: tot & tanta sunt peccata nostra, & absque dubio ad damnationem destinati sumus, damnandi sumus.* Metuendum igitur, nè se occidat spes, cum multum speras de misericordia. Metuendum rursus, nè se occidat desperatio, cum putas tibi non ignosci, quia graua commisisisti. In hac D. Augustini doctrina considera; quanta inter spem Justorum & spem Peccatorum existat differentia: illa est *ad vitam*, quia adiunctam habet poenitentiam & dolorem de peccatis: hæc est *ad mortem*, quia eam comitatur impoenitentia & affectus ad peccatum. Spera igitur, charissime; ac

Spera bene; spera bonam ducens vitam, spera bona exer-
tens opera; hæc enim est vera illa spes, quæ non confun-
det in morte; & non spera peccando, & malè viuendo:
hæc enim spes falsa est, quæ te in vltimam deducet rui-
nam & desperationem tempore mortis. In qua (quis id
crederet) miser dicet Peccator; *Despero*, quia desperavi:
huc me vana spes mea reduxit: quia Dei misericordia in
vita abusus sum, iusto Dei iudicio nulla mihi superest
spes. In maiorem veritatis huius confirmationem addu-
cit S. Augustinus exemplum de quodam seruo, qui Do-
mino suo diceret: quamdiu in florida iuuentutis ætate
vixero, hostibus & inimicis tuis seruiam; at quando se-
nectutis confinium attigero, ad tuum redibo seruitium
& obsequium. Quid responderet ei Dominus? Profecto
id non permitteret. *Quod ergo non vis pati à seruo tuo,
non est in sum, ut facias Domino tuo.* Hæc est Dæmonis
intentio, ut præueniat in electione temporis, & pro se iu-
uentutem capiat, sic enim & sibi subiugabit senectutem:
*Demon ait: da mihi præsentia; Deo futura: mihi iuuen-
tutem. Deo senectutem: mihi voluptates, illi corpus inutile.*
O astutiam! O imposturam & fraudem verè diaboli-
cam! optime sane nouit malignus ille spiritus, vitium
iuuentutis conseruari quoque in senectute: prauumq; ha-
bitum in vita acquirere perseverare quoque in morte,
ac Deum neque ab eo acceptare senectutem, à quo non
habuit iuuentutem.

Hæc astutia & fraus, inquit D. Augustinus plurimis
extremam attulit perniciem & ruinam: considerate
igitur, cum sufficiat bonum propositum de futuro: fa-
ciam, dicam, me conuertam, suscipiam sanctissima Sa-
cramenta; at non modo: in senectute, in infirmitate,
quando Mundo exaturatus fuero: *Ipsa res est: qua
multas occidit, cum dicunt cras, cras, & subito ostiam clau-
ditur Diuine misericordie.* Et remansit foris cum voce
coruina, quia non habuit gemitum columbinum, q. d. Pec-
cator excludetur & foris remanebit tanquam coruus la-
ferri, non tanquam columba Paradisi: quia procrastinan-
do conuersionem suam corui habuit cantum, non columbæ
placatum, subito agendo penitentiam in vita. Et hæc
de au-

S. Aug. ser.
I. de pœni-
tent. to. 10.

Anton.
Melissa p.
i. Sermon. a-
pud Cornel.
in Gen. 22.

Aug. de
verbis D.
Serm. 27.

de autoritate D. Augustini, qui efficaciter nos instruit *Accende lucernam ante tenebras*, ut nos pœnitentiz illustreretur lumine, priusquam mortis adueniant tenebræ: etenim non est bona spes ea, quæ est occasio peccandi; sed spes coniuncta cum bona vita & cum preparatione ad bonam Mortem saluat: non enim coruis sed columbæ cœli ingrediuntur arcam. Transitum paremus ad D. Gregorium.

S. Greg.

Hom. 12.

Item tom.

1 in 1. Reg.

n. 15. lib. 6.

Præfatorum Patrum opinioni subscribit D. Gregorius, & mortis profert sententiam contra eum, qui in vita non se disponit ad mortem; *Qui tempus congrua patientiæ perdidit, frustra ante Regni ianuam cum precibus venit.* Idque probat, quia qui nolunt conteri, eum possunt: postea, si volunt, non possunt, quia perfectè velle non possunt, quod est necessarium ad conversionem; sed imperfectum & inefficax habent velle, quod potius est vana quædam velletas, quàm vera voluntas. Et hæc

S. Greg.

Hom. 12.

Isa. 55.

est comminatio illa adedò terribilis, quàm fulminat Altissimus per os Isaiæ Prophetæ: *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Tunc, quando aquis, ut dici solet, collotenus immersi conspiciuntur, quando à Mundo repulsi & reiecti, capti à Morte, oppressi à Dæmone: tunc, quando Mundo deinceps inferuire nequeant, à diuitiis delicti, sensus delitiis & voluptatibus destituti, volunt conuerrere, Deo seruire cupiunt; tunc, inquit Deus, non exaudiam, obtutabo aures, surdus ero, preces eorum non exaudiam: dicam, non est tempus amplius, tempus misericordiæ præterit; nunc aduenit tempus iudicii, tempus iudicandi peccata commissa, ea que, prout promouere, castigandi. O casum terribilem & miserabilem! Quid tibi, miser, proderit, quod magnus exiteris in Mundo, abundans diuitiis, ad honores exaltatus, cunctis mundanis partus delitiis & voluptatibus, quando, ut prosequitur idem Gregorius, *lumen tuum in die est, obscuritas in vespere?* Totum id, quod in vita habuisti, splendoris, obturabitur in morte. Per te tota Mundi claritudo & serenitas obscurabitur, obscurabitur comitatus pompa, nitor nobilitatis, splendor nature; obscurabitur per te cœlum, obscurabitur Gratia, implet Deus obscurabitur. O Lumen! O obscuritas! ● Lumen, quod

quod vnico præteristi momento! ô obscuritas, quæ in æternum durabis! ô lumen, quod non nisi ad offendendum Deum vsui mihi fuisti! ô obscuritas, quæ per totam æternitatem serenissimo Dei vultu me priuabis! Quamobrem concludit sanctus Gregorius: si tibi est animus tam graue euadendi periculum, procura, vt *fuga tua non fiat in hyeme, vel Sabbatho*, quemadmodum etiam consulit Christus D. N. nè mors tua accedat frigidus peccati tempore, & in Sabbatho, quando Judæis itinerari prohibitum erat. Præterea *Ista Redemptoris admonitio ante mentis oculos semper ponenda, Vigilate, non decipiat vos inimicus vester: Horam tuæ exitus semper intueno*: nulla enim secura est, & à periculo mortis libera. Idèdque in omnibus studebis esse dispositus ad mortem. Et hinc Authoritatibus Sanctorum finè imposito, procedamus ad rationes.

Matth. 24

Rationes.

Cap. V.

Si non sufficiant auctoritates Dei, Christi, & Sanctorum Patrum; saltem humanam obstinationem conuincant efficacissima argumenta & rationes euentissimæ; quæ hanc persuadeat veritatem. Sunt autem sequentes.

Prima, ex parte Dei, quia conuersio peccatoris non est opus Naturæ, sed Gratiæ: *Principium in conuersione peccatoris est ipsa operatio Dei*, iuxta Prophetæ eloquium: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. q. d. Da nobis, Domine, sanctam tuam Gratiam ad conuersionem necessariam, & conuertemur. Undè definit Concilium Tridentinum, quod ad mutationem cordis humani à peccato ad gratiam *requiritur inspiratio Spiritus sancti excitantis & adiuuantis* peccatorem, vt se conuertat. Hanc Gratiã excitantē & adiuuantē Deus peccatori in agone constituto iustissimè denegat; idque in pœnâ, quod in vita non egerit pœnitentiam. Enimuerò communis Theologorum doctrina est, Deum punire vnum **Tomus posterior** peccat

S. Tho. 3. p. q. 85. art. 5.
Thren. 6.
Trident. sess. 6. c. 6.
Suarez de pœnitentiâ disp. 1.

LOYSII
IDERET
O. V.

peccatum cum permissione alterius, negando Gratiam suam efficacem, & per aliquod tempus etiam sufficientem, veluti docent plurimi. Quis, amabo, haec ponderans rationem affirmare audebit, bonum propositum sufficere in morte, & posse aliquem vivere in peccato, modò habebat voluntatem moriendi in Gratia, sicuti & dispositionem ad bonam mortem posse fieri eodem mortis tempore, nec esse necessarium, ut fiat in vita? O quae somnia! O quae deliria! O quae istae sunt insensatae si conversio ad Deum in tua esset posita potestatem, ac si esset opus naturale non supernaturale, ac si retinenda Divinâ Gratia haberem nostrum arbitrium sufficienter esset; quo ad Deum conuerti, eique reconciliari possemus. Audi Diuinum Oraculum per os Apostoli.

1. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quod ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* Nec unum cogitationis actum supernaturalem, & vitae aeternae meritum elicere apti sumus absque Diuinae Gratiae auxilio. Ergone tibi polliceris conversionem actumque poenitentiae in morte eliciendum eo tempore, quo DEUS propter peccata tua sanctam suam tibi denegat Gratiam? Considerationem tuam non superfluat, quod, sicut DEUS est misericors; ita sit pariter iustus: & sicut misericors praemia largitur iustis & bonis; ita iustus pariter castiget & puniat malos & peccatores: quod si DEO competat, facienti quod in se est non negare sanctam suam Gratiam ad Deum quoque spectat: non facienti quod in se est negare eam. Igitur noli decipi bonis propositis sub finem vitae duntaxat exequendis: sed modò & subito, absque dilatione Deo te reconciliare, & iram eius placare stude, ut eum placatum & propitium quoque reperias in morte tua. Quod tu modò vocas spem in Deo, non est spes; sed praesumptio in vita, & desperatio in morte.

Secunda ratio est ex parte peccatoris. Primò, quia differre conversionem ad vltimum vsque vitam

germinum, est quasi tentare DEUM, quia descri-
 tur via ordinata, & appetitur extraordinaria, qua-
 runcurque miracula absque necessitate: quem admo-
 dum qui scalam instructus domo per fenestram exire cu-
 pitur. Secundò, propter salutis propriae oblivio-
 nem, cui mortis appropinquante tempore peccator
 subiacet; hanc enim oblivione DEUS castigat enim,
 quia & DEI ipse adhuc vitius & sanus oblitus fuit:
 & quia ibi tota accurrit cogitatio, ubi est sensus
 doloris, infirmitatis & timoris mortis. Tertio,
 propter affectum adeò radicatum & inueteratum
 in amore creaturarum, quem statim convertere ad
 Deum valde difficile est, & quasi impossibile: & à san-
 cto Basilio dicitur affectus penitus incurabilis, quia est
 consuetudo transiens in naturam. Quarto, propter
 defectum vius rationis, etenim passiones, cum multum
 intenduntur, tollunt totaliter usum rationis & liber-
 tatem arbitrii. Et tales sunt dolor de malo praesenti, & ti-
 mor de futuro. Quintò, propter defectum veræ con-
 tritionis aut attritionis: ex solo namque timore servili,
 ex timore Inferni, tanquam ex fine ultimato, aut prin-
 cipali provenire solet. Sextò, propter defectum ve-
 ri propositi ad confessionem necessarij, absolutum
 namque & efficax debet esse propositum fugiendi quod-
 cunque peccatum, omnemque illius occasionem, omni
 tempore, & in omni loco. Tale in hisce non reperitur:
 siquidem non habent resolutum animum deserendi pec-
 catum quocunque tempore, siue infirmitatis, siue sancti-
 tatis. Septimò, quia confessio, quam faciunt, non est va-
 lida: eorumque poenitentia damnatorum similis est poe-
 nitentiae: poenitentiam agentes propter solum timorem
 poenitentiae: at non culpa. Talis fuit poenitentia Esau, qui non
 invenit poenitentiae locum, etiam si cum lachrymis quasi fuisset il-
 lum. Et propter eandem rationem neque approbata &
 admilla fuit poenitentia futurarum virginum, quibus di-
 centibus: Domine, Domine aperi nobis, respondit Spon-
 sus: Amen dico vobis, nescio vos, quia poenitentia vestra
 vera non est, nec ex corde, uti patet, procedit. Au-
 scultent in hac materia terribilem quandam sententiam
 Authoris operis imperfecti, qui sic loquitur: Nihil pro-
 dest

S. Thom.
 S. Basl.
 Hom. I.
 S. Thom. q.
 77. Art. 2.
 Scot. in. 4.
 d. 20.
 Sap. 5.
 Hebr. 12.
 Matth. 25.
 Auth. imp.
 dest

LOYSII
 DEREI
 O V

Auth. imp. *dest ex necessitate repetita confessio ei, qui ex voluntate nec semel confessus est.* Huiusmodi confessiones sunt tantum verbales, apparentes, confessiones coram hominibus, sed non coram Deo, qui cor, & interiorum realemque operis valorem intuetur. Octauo, propter

Ioan. 5. defectum auxilii: *Est peccatum ad mortem, & non dico, ut pro eo qui orat.* Peccatum ad mortem est peccatum, quod persecuerunt ad mortem usque: & propter hoc, inquit Deus, nullus faciat orationem, & si fecerint, non ex-

Thren. c. 7. audientur. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* Igitur vano cum fundamento sperabitur in Sanctorum precibus, in sanctissimæ Virginitatis confidetur patrocinio, quotiescunque homo Christianus talem nactus fuerit comitem, & in corde suo peccatum ad mortem usque conseruauerit. Holofernes, ut caperet Bethu-

Iudith. 7. *liam, incidi precepit aquaductum, per quem aqua defluebat in præfatam urbem.* Idem profus operatur Sathanas in peccatore: curat, ut semper in peccato oblitus natus persistat, ut sic præscindatur aquæ ductus, nec in auxilium eius accurrat sanctissima Mater per sanctas suas orationes & preces. Et deficiente Matris Dei oratione, cessant quoque & deficiunt reliquorum Sanctorum orationes: siquidem omnes veluti famuli conformant se suæ Dominiæ & Reginiæ. Undè dixit S. Anselmus *Te Domina tacente, nullus orat, nullus adiuuat: tu autem orante, omnes orant, omnes adiuuant.*

S. Tho & Scotus in 4 dist. 20. Ex hisce rationibus Theologiæ scholasticæ Magistri S. Thomas & Scotus cum Magistro Sententiarum concludunt: *Pœnitentia serua, raro vera, aliquando, quandoque vera.* Insuper asserunt. Semper peccator, quamdiu est in vita, propter libertatē arbitrii, & Gratiæ efficaciam conuerti potest, & etiā in morte: at de facto est moraliter impossibile, & est de raro contingentibus. quod vnus toto vitæ tempore impœnitens sit vel us pœnitens in morte. Communis igitur Doctorum sententia solidissimis rationibus probata & confirmata est, pœnitentiam in extremis esse valdè difficilem, valdè periculosam, valdè incertam, valdè raram: è contrario verò pœnitentiam & conuersionem in vita, & tempore sanitatis peractam esse securam, moraliter certam & salutarem. Undè concludit

ait S. Augustinus. In hoc dubio, in hoc biuio quid faciendum est peccatori? in negotio tanti momenti, quale est hoc æternæ salutis, aut æternæ damnationis? *Te. 28. apud ne certum, & dimitte incertum.* Si velis euadere periculum, & aliquid facere nulli dolori subiectum, *tene certum, fac, quod certum, præsentem, videlicet conversionem: & dimitte incertum,* nimirum conuersionem futuram in morte: *tene certum,* ordinariam salutis viam: *dimitte incertum,* scimitam extraordinariam, quæ est de raro & rarissimè contingens: *tene certum,* quod est pœnitentia subito executæ, & in sacra Scriptura commendata: & dimitte incertum, pœnitentiam dilatam & procrastinatam, summopere à Deo culpam & prohibitam. Nihilominus cum hoc negandum non est, quod peccatori infirmo & moribundo aliis verbis loqui ac persuadere debeamus, vt ex corde, quantum fieri potest de peccatis suis doleat, à desperationis barathro se præseruet, & in Diuina confidat misericordia: si quidem *est sera pœnitentia, nõ sera tamen indulgentia,* & S. Aug. *loc. cit.* Dei misericordia. A st peccatori, qui sanus & incolumis existit, potest, & non vult agere pœnitentiam; sed eam ad vltimum vsque vitæ terminum differre & procrastinare intendit, manifestum periculum, in quo constitutus est, clarè & distinctè exponendum est, & dicendum, quod *qui amat periculum, peribit in illo.* *Quam. Eccles. 3.* obrem, qui hunc elicit actum: Nolo me convertere in vita, volo me convertere in morte, nouum committit peccatum, quia positiuè proponit non agere pœnitentiam, quando eam agere tenetur; proponitque se exponere periculo nunquam faciendi eam. Accepimus igitur S. Augustini consiliu: *Vu à dubio liberari? age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quia securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes; peccata te dimiserunt, non tu illa.*

Capiti huic coronidem imponamus præfatio quoddam peccatori in vitiis radicato & pœnitentiam ad extremam mortis horam procrastinanti facto. Solent Medici iuxta infirmitatis qualitatem aut vitæ aut mortis infirmi habere prognosticon: idem planè de animæ

infirmate, quæ est peccatum affirmari potest. *Exech. 3* *lestem* audiamus Medicum: *Impius in iniquitate sua morietur.* Vult significare: quod si infirmus spiritalis, pura, peccator fuerit obstinatus, & impius, neque etiam piâ & bonâ; sed malâ & impiâ defungetur morte. *In iniquitate sua morietur.* Quemadmodum enim in iniquitate sua vivere placuit; ita & in eadem morietur: impius, uti vixit, morietur, absque deuotione & pietate, absque amore Dei. Impius exitit toto vitæ tempore sine Gratia, sine Charitate Dei: talis & in morte deprehendetur. Miserum prognosticon, infelix prognosticon; at pessimæ infirmitatis qualitas conuenient & proportionatum. Positâ igitur veritate sententiæ à Christo datæ: vnum è tribus misero peccatori competet; aut competet ei mori absque confessione; aut si confessus fuerit, haud valida erit confessio, erit confessio coram hominibus; sed coram Deo. *Corn. epi. 5.* *qui intuetur cor,* maior erit illius confusio & damno propter defectum contritionis & propoliti. *Isa. 62. 7.* *13.* aut denique, tamen si benè confiteatur, Deus petimet, ut post confessionem, & paulò ante mortem rursùm prolatur in peccatum, propter malum acquiritum habitum, quo semper cuiusque inimici tentatione consentire solebat. Hoc est Diuini Medici, qui nec fallitur, nec fallere potest prognosticon: talis est peccator in vitis habituati infirmitas. Quilibet igitur miserus adeò statum effugere studeat, nè tam crudeli subiiciatur sententia.

Exempla.

Caput VI.

Quod si nec Diuina Decreta, nec Christi Oracula satisfaciant, si sacræ Scripturæ authoritates, & sanctorum Patrum testimonia haud sufficiant, deficiant quoque rationes suprâ allatæ ad peruersum peccatoris cor conuincendum; humana duntaxat

ites ipsi saltem cedat experientiae. Cessent igitur
 auctoritates, obmutescant rationes, & loquantur dun-
 taxat facta, loquantur exempla eorum, qui propriis
 conspexere oculis, manibus palparunt, & experti
 sunt suo damno, & cum aeterna sua miseria & damna-
 tione doctrinae huius veritatem: eam, nimirum, spem,
 quae in morte concipitur, haud esse securam, sed valde
 incertam & fallacem, nisi praevius bonae vitae fulciatur
 meritum. Hoc ipsum nonnullis modò probatur exem-
 plis, in quibus, veluti in speculis peccator seipsum
 contemplantur: id enim, quod hisce contigit, succe-
 det & ipsi, nisi se emendaverint.

Ac primum sit illud, quod refert Beda de quodam ge- *Beda tom.*
 nerali cuiusdam exercitus Archistratego, Conradi *2. lib 5 Hi-*
 Regis tempore, qui dispositionem ad mortem risu & *stor. c. 14.*
 ioco excipiebat, & confessionem de die in diem, de
 tempore in tempus differiebat. Tandem delapsus est
 in morbum valde periculosum, & morte accedente
 proprius, accessit quoque ipsemet Rex in persona ex-
 hortans eum ad confessionem. Respondit ille, nullum
 ad id praestandum iam superesse tempus. Et recensuit,
 quae ratione paulò ante cubiculum suum ingressi fuerint
 duo pulcherrimi iuvenes, quorum unus portavit ei li-
 brum *valde modicum*, quem perlegeret; legit ipse ea,
 quae fecerat, opera bona; sed admodum pauca & exi-
 gua. Post hanc integer accessit exercitus Dæmonum,
 & horum unus pariter ei exhibuit librum ad legendum,
valde magnum & horrendum, in quo cuncta legit pec-
 cata cogitatione, verbo & opere patrata. Dixerunt
 quoque Dæmones duobus aliis iuvenibus: *Quid hic sta-
 tis? scitote, quia hic noster est.* Responderunt illi: *Ve-
 rum dicitis, & in cumulum vestrae damnationis acci-
 pite illum.* Cum hoc d' sparuerunt Angeli, & accesserunt
 Dæmones vncis ferreis dilacerantes eius viscera,
 & sic referendo miser ille infirmus in brachiis aetere
 mortis infelicem expiravit animam. In hoc exem-
 plo idem Beda inter alia notat asseritque: *Opera nostra
 non in vacuum diffuere; sed ad examen summi iudicis
 cum illa seruari: & nobis per bonos vel malos Angelos in fi-
 nis vita ostendi.*

*Episc. Al-
grin. in
spec. vit. pec-
cipient.*

Secundum exemplum est de quodam alio, qui simili-
ter procrastinabat pœnitentiam: cumque à Religioſo
moneretur, vt confiteretur, Deique uideret ultionem
reſpondebat, *Faciam*, modò non est tempus. Pœnitentiam
eum Deus graui quadam infirmitate, in qua rogatus
confiteretur, eodem reſpondebat uerbo: *Faciam*
præſens temporis occasio non patitur. Demùm ingra-
ueſcente morbo, & mortis ultimo appropinquante
puncto Sacerdos aſſiſtens magno animi zelo dixit:
chariſſime, conſidera periculum vitæ, cui expoſitus es:
ecce in portis mortis es conſtitutus; ecce Infernum pro-
pter te apertum: ecce Dæmones, te apprehenſuri, ac-
cedant; confitere, & à Deo poſtula veniam de peccatis
tuis, actus contritionis elice, pœniteat te vitæ præ-
rita. Monitis hiſce reſpondit infirmus altâ & horren-
dâ voce? *Pœnitentia ubi es? Pœnitentia ubi es? De-
teropœnitere non ualeo.* Vellem dolere & confiteri, &
non poſſum. *Hoc iuſto iudice iudicante & puniente,
quia dùm facere pœnitentiam poteram, non volui.* Hæc
in uerba prorumpens mortuus eſt absque contritione &
Sacramentis, impœnitens & obſtinatus.

Catech.

*Hiſtor. c. 6.
iii. 38.*

Tertium exemplum idem confirmat propoſitum.
Erat quidam peccator peſſimæ vitæ, uiuebatque uani
ſalutis in morte obtinendæ ſpe illeceſtus, tria ſolum di-
cenda uerba: *Miſerere mei Deus*, aut ſimilia; æſt feſe-
lit eum uana ſua opinio & intentio; etenim cum de
quodam equo inſidens pontem tranſiret, equus (ob
quam cauſam, neſcio) perterreſactus, ſeipſum & equi-
tem in aquas à ponte dedit præcipitem: tunc miſer equus
uidens præſentiſſimum mortis periculum, nec ullum ſu-
perſeſſe remedium aut effugium, loco trium illorum
uerberum: *Miſerere mei Deus*, quæ dicere decreuerat,
exclamando protulit tria alia uerba omnino con-
traria: *Capiat omnia Dæmon*, & corpus & animam, & hæc di-
cens, ſubmersus obiit.

Quartum exemplum refertur à Caſario de peccatore
obſtinato dicto Hildobrando, qui ſemper aures obre-
rabat quotieſcunque quis ei de confeſſione loquebatur.
Mortis proximus monitusque, vt boni Chriſtiani ſun-
geretur officio, ac confeſſionis Sacramento eliceret ani-
mum

mum peccatorum sordibus, respondebat: *Homo damnatus sum, quid hac mihi possunt prodesse?* Et quidquid ipsi inculcatur, ex ore eius aliud extorqueri haud poterat, nisi hoc responsum: *Homo damnatus sum, quid hac mihi possunt prodesse?* Postremo Parochus afflicto videntes nullum aliud præ manibus esse remedium, præcepit ei in nomine Dei, ut post mortem sibi compareret relationem status sui daturus. Mortuus est, & ex permissione Dei elapsis aliquot post mortem diebus comparuit præfato Sacerdote, eique dixit: *Æternaliter damnatus sum, maximè propter desperationem, quam habui.* Quibus verbis deterritus Parochus, vocato Bertolfo, subito valedixit sæculo, & factus est Religiosus.

Quintum exemplum refert Magister Joannes Gerolt dicitur Discipulus. Erat, inquit, persona quædam nobilis quidem generis splendore, at perditis moribus vitæque improbitate insignis. Hunc vxor eius valdè deuota frequenter exhortabatur ad confessionem; at ille coniugis sermones cachinnis risuque excipiebat. Nihilominus nulli vxor pepercit labori, quo cum à vita illa pessima reuocaret: vnde dixit ei: quomodo tu pœnas Inferni sustinere poteris? Respondit maritus: *putasne quod Infernus sit? falleris profectò, somnia ista, & Concionatorum inuentiones sunt, ut nobis incutiant terrorem.* Demùm, cum hominum ille infelicissimus in sua perseueraret obstinatione, nocte quâdam ipso iacente in lecto suo, venerunt Dæmones, acceperunt ipsum de lecto, & ad Infernum deportauerunt. Conspexit hoc ipsum coniunx, persona vitæ sanctitate conspicua, deditque se precibus Diuinam exorando Maiestatem, ut sibi mariti statum reuelare dignaretur. Et ecce summo diluculo sequentis diei reperit corpus mariti torum deforme, & carbonis instar denigratum, quod manu continebat quandam chartulam, cui hæc verba inscripta erant: *Iam certificatus sum, quod Infernus est. Et timor, quem habui ad agendam pœnitentiam, me illuc deportauit.*

Sextum exemplum ex eodem Authore depromptum est. Refert de quodam, qui mortis instante tempore statuerat agere pœnitentiam, & salutem simul tum se

Discipul. in suo Promptu. litt. G. ex 27.

Idem Discipul. litt. M. exemp. 19.

obtenturum sperauerat; in terram sanam ducens vitam dabat se *in reprobum sensum*. Graui tandem correptus morbo, ac morti proximus, monitusque ad superioris vitae noxas confessione expiandas, respondit: *Insuper est Dominus, & iustitias dilexit*. O quam iustus est Deus imò iustissimus: quia dum confiteri potui, contempnimodò vellem, & non permittit Diabolus, qui insidet peccatore meo, & stringit collum meum. & non permittit mihi loqui salutis meae necessaria, quia peccavi in Spiritum sanctum, Diuinā abutendo misericordia. *Et hoc loquens spirauit & sepultus est in Inferno.*

Septimum exemplum valde terribile est de quodam peccatore, qui tamen poenas Inferni sibi paratas contempseret, nihilominus ad Deum se conuertere noluit. Refert Casarius, Deum, post omnia, quae poterat, misericordiae media cuidam peccatori adhibita, tandem permisisse, ut à Dæmone viuus conducere ad Infernum, ignisque infernalis inuitu durissimum illud carcerem non nihil emollietur. Verum totum accidit contrarium, quia obstinatior ac peruersior ex inde discessit, quam intrauerat. Prosequatur vitam impiam semel ceptam, nec confiteri, nec ad sanam mentem redire cogitabat: & ecce in grauem incidit infirmitatem, & in apertum mortis periculum: Accedit Confessarius exceptum illius confessionem, deprecatur, exhortaturque eum ad poenitentiam, contritionemque de peccatis suis habendam: at impius respondet verbis vere diabolicis, & à Satana sibi dictatis: *Quid profunt verba ista? Non possum confiteri, estò vellem. Sedes mea in Inferno posita est.* Iam perlustrauit habitaculum in Inferno mihi praeparatum. Hoc dicendo: *sine contritione, sine confessione, sine viatico, sine extrema unctione defunctus est, & in Inferno sepultus est.*

Octauum exemplum priori adhuc terribilius est. Scribit quidam Pater Augustinianus, quandam peccatorem ob pessimam vitam suam graui à Deo correptum fuisse infirmitate. Accurrerunt amici auxiliaturi ei praebituri manus, & ad confessionem seruo intelligenti: at ille graui concitatus furore respondit: *quid inutiliter tempus impeditis? an nescitis, quid sit peccatum?*

*Gottschale.
Holsf. Au-
gustinian.
serm. 58. in
specul. tit.
Impoenit.
17. 19*

peccator pessimus? Quid mihi prodest pœnitentia? *Dammatus sum.* Comparavit ei Christus in propria persona, ac dixit: *Ego sum Iesus Christus, mortuus pro te; miserationes meae excedunt omnia peccata tua: fac confessionem tuam, & miserebor.* At ille obstinatio idem, quod prius, respondebat: *Ego peccator pessimus. Quid mihi prodest pœnitentia? Dammatus sum.* Replicavit Christus ostendens ei sua vulnera: *Hæc omnia pro te sustinui: te damnare nolo, si vni pœnitentiam agere.* Neque huic ille emollebatur vocibus, imò cor eius plus indurabatur: Demùm Christus in manu sua è proprio latere apprehendit Sanguinem, eumque in faciem infœlicis profundens, dixit: *Sanguis hic pro signo & testimonio serviet in ultimo iudicio die, quia meam misericordiam habere noluit.* His dictis, disparuit visio, & infœlix illa anima in Sathanæ potestatem fuit tradita.

Nonum exemplum omninò horrendum & terribile est, & clarè demonstrat, quid tempore mortis efficiat impœnitentia in vita habitæ. In Historiis Cisterciensibus de quodam alio sceleratæ scandalosæque vitæ legitur, quod mortis appropinquans confinio Notarium accursu iusserit, eique iam præsentem dixerit: *Scribe, quod dico, veluti voluntatis meæ ultimam sententiam ac testamentum: Corpus meum reddatur terræ, anima Damonibus.* Abhorruere multum Confanguinei hoc audientes, & modum hunc loquendi acriter reprehenderunt. Ille verò secundo & maiori cum obstinatione repetit: *Corpus meum reddatur terra, & anima mea, & uxoris, & filiorum & amicorum Damonibus.* Tertio cum idem repeteret, animam sui Confessarii simul apprehendit, dicens: *Et anima mea & amicorum, & mei Confessoris reddatur Damonibus.* Ac causam subiunxit: quia Confessarius me per viam malam in perditionem currentem videbat, & flebat, non me reprehendebat, ne auxilium præstaret. *Dixit proprio se damnas ore, & efflavit animam.*

Histor. Cisterciens.

Decimum exemplum demonstrat, non omnes confessiones sub suæ v. æ. executas esse validas. Parisiis, ut scribitur

LOYSII
DEREI
II
OV

ut scribit Cæsarius, morabatur persona vitæ quoque sceleratæ & impiæ. Morti vicina non solum confessus est; sed sanctissimum insuper Viaticum & extremam suscepit Vñctionem. Cuncti de ipsius salute optime censebant, quippè mortua fuerat sanctissimis præmunita Sacramentis. Nihilominus post mortem cuidam suorum amicorum comparuit, eique dixit, se iam inferis esse adiudicatam & damnatam, confessionemque sub vitæ finem factam fuisse invalidam propter defectum propositi, quia, nimirum, firma ac resoluta non fuisset voluntas non peccandi deinceps, ubi longiorem duxisset vitam.

Ultimum exemplum misero peccatori omnem propositus præcludit viam & passum: etenim probat, quod esto agoni proximus benè ac validè peragat confessionem suam, Deus nihilominus permisurus sit, idque iusto eius iudicio, ut post illam in novum prolaberetur peccatum, ac in eo moriatur. Referunt citati Auctores, vnum è peccatoribus (de quibus in præsentis loquimur) in vita obstinatum, & ad vitæ morisque confinia redactum non parvam ostendisse difficultatem in exoneranda conscientia per confessionis Sacramentum: attamen Gratiam tandem prævaluisse, huiusque suffragio confessionem instituisse varios contritionis denotionisq; eliciendo actus: ut propterea omnes, & cõanguinei, & amici de salute eius securam quasi spem conceperint. In hac dispositione bona, ut Mundi patebat oculis, obiit. Paulò post cuidam amicorum suorum apparuit totus ardentibus inuestitus flammis: eique iterum damnationis suæ intimavit. Obstupuit amicus, stetitque valdè attonitus, ecquomodo? inquiebat: annon confessus varios elicuisti actus contritionis? quæ ratione quispiam hoc in statu constitutus damnari potest? Verum est, respondit defunctus, confessus sum, & veros contritionis actus elicui; at permissu Dei factum, idque in pœnam peccatorum meorum tempore vitæ antea commissorum, ut post confessionem Dæmone inuaderet graui fortique tentatione: ego verò propter prauum acquisitum habitum, quo similibus cogitationibus consentire oblectarique solebam, tentationem

huic præbui consensum, deinde arripuit mors, & nullo prævio dolore, in peccato isto persistens, mortem cum vita commutavi. Hisce dictis disparuit.

Ex adductis exemplis, aliisque quamplurimis proposito huic valde accommodis, quæ in medium adduci possunt, clarè conspicitur, quanto subsit periculo dilatio & procrastinatio confessionis ad extremum vsque vitæ terminum. Insuperant ea protua instructione: & si non cupias eorum esse socius in mala morte, neque in prava & mala vita eorundem comes esse; sed bonâ vitâ ad bonam mortem te parare stude. Bona namque dispositio & præparatio, veluti toto hoc primo libro tibi declaravi, necessaria est; siquidem Christus D. N. immutabiliter ita determinavit & decrevit, sacra Scriptura inviolabiliter id inculcavit, sacri Doctores & Patres omnes id docuerunt, & persuaserunt, & exempla eorum, qui in vita non studuerunt bonæ præparationi ad mortem, demonstrârunt, eam difficilem fore mortis adiuuante tempore.



PERE-

MOYSII
DERE
II
O.V

